

Epistula Plantina.

Francisco Buechelero Fridericus Leo S. P.

Relegi nuper, qualis e Schoellii manibus prodiit, Truculentum fabulam seni poetae haud immerito dilectam mihiq̄ merito et illius et tuo praeter ceteras caram. quam quotiens in manus sumo subit animum et possidet lectionum tuarum suavissima recordatio, quarum opera factum est ut haec saltem, via et exemplum, in his studiis mihi non defuerint. quod si pauca quaedam sed non nuper excogitata illa de hac aliisque Plauti fabulis prolaturus tuo potissimum iudicio ea commendare animum induxi, et διδάκτρον tibi me debere et boni te consulturum scio quodcumque adfero, dum ne indigna succrescant vobis et seminario vestro.

Atque emendationes in Truculentum tuas recognoscentem me inprimis advertibat quam non soleas traditarum litterarum vestigia deserere, sed eisdem fortiter insistens ad veritatem ascendere: quae via eo firmiter tenenda est quo magis sensu cassa litteris verbisque dirimendis mutilandis permutandis scribarum ignorantia effecerit. quid quod in ipsa Truculento, quae pessime videlicet antiquis iam temporibus habita est, inesse mihi etiamnum videntur quibus sola sententiae distinctione medearis. ita v. 259 (II 2, 4) postquam nimis truculentum Stratullacis sermonem timida salutatione Astaphium excepit 'salve', certe non respondebit ille 'sat mihi est tuae salutis' quod nihil est, sed 'sat mihi salutis est. tuam non moror. sat salveo'. id ipsum qua ratione, verbis scilicet per indignationem animumque colloquio repugnantem discisis, servum pronuntiare poeta voluerit, Ambrosianus codex ostendit, qui omittit 'est' post 'tuae'; voluit enim: 'Ast. sálve. Str. sat mihi: tuae salutis nil moror: sat salveo'. ubi ad 'sat mihi' apparet subaudiendum esse 'salveo', quod et ipsum deinde sup-

pletur; nisi praefers parentheseos figuram qualis extat v. 305. Asin. 935 áll. nam 'non salveo?' parum recte in libris praeter Ambrosianum tradi sequentis versus cum isto conexus docet. simili condicione v. 332 (II 3, 11) claudicant haec 'non tibi dicebam' post illa 'si te revocavi'. scribendum 'di me perduint, | si té revocavi: non tibi dicebam 'i' modo?' nimirum dixerat v. 329 'i intro ac nuntia'. respondet Astaphium, aut potuit respondere: 'quid? nón revocabas, improbus nihilique homo? | quae tibi res mille passum pepererit moram'. alterius versus similes habes v. 365. 539 (ex tua emendatione) 808. 'non' pro 'iam' in *B* legitur v. 442; hic 'me' post 'iam' in *B* non aliam originem habet quam vel in titulo CIL I 1019, quem tu in anthologiae epigraphicae primo specimine tractasti (n. 45, 11) pronomen idem: 'quoniám [me] fortuna iniqua non sivit frui'. non multum a v. 332 distat ratione et fortuna versus Rud. 1226, ubi pronuntiandum 'ita meas replevit auris, quidquid memorabam, 'licet'', cum vulgo post 'auris' finalis ponatur distinctio. cf. Vsenerus in Fleckeiseni annali CXVII p. 80.

Sed parva haec et minuta. progredior ad alium Stratullacis sermonem, cuius magis recondita corruptela est, orta quidem illa unius lineolae detractio. quam ut audacter reponamus novo fit nuperque reperto subsidio. loquor de v. 307 (II 2, 52), quem cum sic tradant codices: 'numquam edepol mihi | quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit, | ní ego ero maiori vostra facta denarravero', certe nihil egerunt veteres interpretes intelligentes haec duo 'est' et 'non' aut divinas res et humanas, aptiorem tamen illi sensum requirentes quam qui aut 'suarum rerum' aut 'duarum nucerum' coniecerunt, nescio quae aliena conferentes. conferri autem debuerunt, quos partim iam Pareus attulit, omnes Vssingius ad Amph. 665, hi versus quos adscribam ut in codicibus leguntur:

Bacch. 504 nam mihi divini numquam quisquam creduat.

Amph. 672 núnquam edepol tu mihi divini quicquam cre-
duis post hunc diem.

Asin. 854 néque divini neque mi humani posthac quicquam
acerduas.

Poen. II 20 quid eí divini aut humani aequomst credere?
scilicet iuranti sibi (id quod 'deivaum' Osci dicunt) ut fides in
posterum derogetur servus postulat¹. scripsit autem Plautus non

¹ 'divini alicui credere' ita a Plauto amplificatum est, ut diceret

‘duarum’, sed ‘dinarum’, forma usus contracta quam testatur titulus Spoletinus a Bormanno editus in miscellaneis iuvenum Capitolinorum p. 5, tuam deinde operam expertus musei Rhenani volumine XXXV p. 627. ubi hanc ipsam formam ‘deinus dinus’ vindicasti Plauti versu Epid. 314. atque Truculenti versum quominus sic dimetiamur: ‘quisquam homo mortalis post hac dinarum rerum créduit’, caesurae lex vetat. scripsit poeta:

quisquam homo mortalis dinarum pósthac rerum créduit. neque enim in adiectivi ‘mortalis’ pronuntiatione hoc quidem septenarii loco quisquam offendet. quod ad Amphitruonis versum attinet, una duabusve syllabis iusto auctiorem, iure illic ‘quicquam’ omitti videtur, quamquam id legitur in simili Asinariae versu et inducto ‘tu’ contractam adiectivi formam restituere possis. quod addam non habeo praeterquam quod Mil. 675 nescio an poeta, quisquis fuit, scripserit potius ‘ét quem in dinis rebus sumas sumptus sapienti lucrest’ (‘quod in divinis’ codd., ‘rebus sumptumst sap.’ Ritschelius).

Monet autem adiectivum illud plenioris substantivi formae, quae prae exiliore fere evanuit, ‘divus divi’. servarunt nomen vetus et sollemne (ut tuo verbo utar Mus. Rhen. XXXIII p. 490) praeter alios titulos antiquissima dialecti Latinae monumenta nuper in Quirinali colle lacuque Fucino inventa, servarunt Plauti codices saltem Aul. 50. 299 Merc. 842, restituit e. g. Truc. 701 Bothius, Merc. 436 Seyffertus (stud. Plaut. p. 6 adn. 5). restituendum praeter haec et alia Amph. 635 (‘ita divis est plácitum, volúptatem ut maéror comés consequátur’) et fortasse Rud. 1229, ubi certe alterum ‘sapias’ Gronovius recte delevit et ‘danunt’ in codicibus est ut 594, ut scribendum sit ‘si sápias, habeas quod danunt divi boni’. similem medelam adhibeas eiusdem comoediae versibus 107 et 1316. denique Men. 217 ‘néque hodie, ut te perdam, meream deorum divitias mihi’ pro ‘deorum’ quod in *B* legitur ‘deum’, id si per ‘divum’ interpreteris, lepide sonabunt ‘divom divitiae’.

Alios quosdam adscribam tibi Truculenti versus, emendatos nisi me fallit opinio; sed videbis ipse. v. 710 (IV 1, 12) haec Diniarcho reddam: ‘quia nil habeo unde animum moveam domnae,¹

‘neque divini neque humani credere alicui’, non alia ratione quam Trin. 134 ‘neque de illo quicquam neque emeris neque venderes’, qua de figura locutus est Vahlenus in indice Berolinensi a. 1880 p. 6.

¹ Cf. Men. 133 ‘ad domnam deferetur’ (‘damnum’ codd. ‘domnam’ Dissaldeus); ‘do]mneis’ in lege agraria.

agam precario', v. 713 (IV 2, 3)¹ sic inventis tuis usus sum: 'nunc dum isti lubét, dum habet, témpust eei rei. | sed cúctam prome venústatem tuam amánti, ut gaudeat cúm perdis', v. 886 (IV 4, 33) 'própter hunc spes etiamst hodie inanitum iri militem' secundum v. 712 'istum exinani', v. 751 (IV 2, 38)

Ast. béne vale. *Dim.* resiste. *A.* omitte. *D.* sine bitam intro.
A. ad te quidem.

D. immo istoc ad vos. licetne? *A.* non potest, nimium petis. sed et de his et de aliis Truculenti versibus infra loquendi dabitur occasio. nunc subsistam in loco quem tu emendatum proposuisti in Fleckeiseni annali CV p. 570, non quod de illius integritate dubitem, sed quia aliorum quorundam admonet, de quibus dubitationem mihi tolles si placebit. nimirum cum v. 112 (I 2, 16) 'nam ipsi vident eorum cum ('cum eorum' Palatini) egerimus bona atque etiam ultro ipsi adgerunt ad nos' certe non minus bene 'sua' aut 'ipsorum bona' dici possit, 'eius' autem sive 'eorum' in re simili ipsi Ciceroni haud semel placuerit, non video qua ratione pronomen demonstrativum his locis excusari possit, quos paullo accuratius video tractandos esse.

Trin. 1048 Stasimus de perversis saeculi moribus declamans homines perfidos omni populo male facere contendit his verbis:

mále fidem servando illis quoque abrogant etiam fidem

quí nil mériti: quippe eorum ex ingenio ingenium horum probant. quae intellegi omnino non posse nisi ad aliud subiectum 'abrogant', ad aliud 'probant' referendum esse statuas, tam clarum est quam ad utrumque verbum unum idemque subiectum Plautini sermonis necessitate requiri; ut sententia qualis extat Pers. 212 'tuo éx ingenio mores alienos probas' hoc loco ferri non possit. id optime sensit Ritscheliius, cuius haec est adnotatio: 'pro 'eorum ex' exspectes 'suo ex' vel (sine 'ex') 'ipsorum' aut 'suopte', ut ad idem subiectum referatur 'probant''. etenim suam per maligni-

¹ Ad eiusdem scaenae primum versum (711) hoc adnoto, Plautum Terentiumque ubique 'suum officium facere', nusquam posuisse 'officium facere'. ergo et Bacch. 760 in 'fugiamus' non quaerendum est 'euge eamus', sed scribendum 'fúgimus'. *Chr.* vos vostrúm curate officium, ego eeciám meum' (cf. Poen. I 3, 18 'fugió. *M.* meumst istuc magis officium quam tuom'; 'fuge fuge' pro 'euge euge' in libris Aulul. 677), nec Trin. 639 Plauto imputandum 'néque mens officio migrat', sed 'suo' inserendum est post 'mens' ('mense' Palatini). glossa Placidi 'of-
ficio migravit] ab officio recessit'. cf. epigramma CIL I 1011, 11 'nulla in avarities cessit ab officio'. de Sen. Phoen. 108 cf. observ. p. 2.

tatem illi innocentium ingenia hominibus cognoscenda dare, i. e. similis malignitatis convincere dicuntur, ut etiam aptior evadat instrumentalis ablativo. verum quis credat pro 'eorum ex ingenio' reponendum esse 'suoapte' vel 'ipsorum ingenio'?

Ter. Hec. I 2 Parmeno Pamphilum, postquam uxorem duxit, consuetudinem cum Bacchide non intermisisse, at importuno illius ingenio magnopere vexatum esse narrat. tum pergit v. 160 (I 2, 85)

atque ea res multo maxime
diiunxit illum ab illa, postquam et ipse se
et illam et hanc quae domi erat cognovit satis,
ad exemplum ambarum mores earum existimans.

versum 163 eicienti Guyeto ut recte oblocutus est Bentleius, ita non recte emendavit 'ad amussim'. sed 'ad exemplum ambarum' coniungi non posse et ipse et reliqui post Donatum et Eugraphium intellexere. nam quis umquam ita locutus est: 'mores earum ad ambarum exemplum existimavit?' tamen, ut tradita verba sunt, ipsum pronomem demonstrativum, quod ad 'mores' non applicare non licet, alium non concedit explicatum. nam Donati et Eugraphii commentum, qui 'ambarum earum' coniungentes 'ad exemplum' absolute positum esse voluerunt, et per se cadit et Bentleius refutavit. hoc ipsum scilicet dictum oportuit, ad uxoris exemplum meretricis, ad meretricis uxoris imaginem examinasse iuvenem. ergo omnis quaestio solvitur reposito pro 'earum' pronomine 'ipsarum', ut ambarum mores ad ipsarum exemplum aestimasse Pamphilus dicatur. sed qui fiet ut 'mores ipsarum' versui accommodetur?

Mil. 186 haec Palaestrio senem puellae nuntiare iubet, quorum priorem versum unus Ambrosianus servavit:

prófecto ut ne quoquam de ingenio degrediatúr muliebri
earumque artem et disciplinam obtineat colere.

in initio 'hercle' pro 'profecto' Fleckeisenus scripsit, 'facito' eleganter Ribbeckius. sed ipsum 'profecto' et v. 290 satis tutatur ('prófecto vidi' e. q. s.) et Poen. IV 2, 85 (prófecto ad incitas lenonem rediget' e. q. s.) et Pseud. 201 (quos versus adfert Muellerus pros. Plaut. p. 249 cf. Spengelius de T. Maccio Plauto p. 113; facile unus Pseuduli versus emendationem patitur, quem et ipsum cum Fleckeisenus tum Vsenerus progr. Gryph. 1866 p. 6 intactum reliquerunt). offendimus autem cum Ritschelio Fleckeiseno aliis in alterius versus initio positoque ibi pronomine demonstrativo. quod cum ex nota figura explicant, cuius exempla

Plautina Lorenzium ad h. l., recentiora quaedam Madvigius ad Cic. de fin. p. 629 praebent, illorum locorum nullus plane huius similis est; siquidem ita nunc Palaestrio loquitur quasi ipsam non in mulierum numero recenseat Philocomasium. atqui hic cum maxime animo eius inculcatum oportuit ne oblivisceretur ipsam se esse mulierem. ergo non priore versu reponendum est cum Fritzschio (ind. lect. Rostoch. 1850), cui saltem ex parte accedit Fleckeisenus ep. crit. p. XXV, 'mulierum' pro 'muliebri', sed expectamus 'ipsarum artem et disciplinam obtineat colere'.

Duarum igitur rerum optio videtur data esse: aut ut tribus illis locis 'eorum earum' pro 'ipsorum ipsarum' positum esse credamus: quod ne faciamus Trinummi saltem et Hecyrae versus prorsus vetant; aut ut ter librariorum incuria 'ipsorum ipsarum' in 'eorum earum' abiisse statuamus; quod cum per se parum probabile est, tum verum non esse comprobare possum: nusquam scilicet in Plauti et Terenti comoediis legitur ille pronominis genetivus 'ipsorum ipsarum', neque usquam in reliquorum veterum poetarum fragmentis nec in Lucreti Catullique carminibus. nam quod Ter. Ad. 820 (V 3, 34) in editionibus habetur 'consuetudinem ipsorum', id a Calliopio est, in Bembino codice 'amborum'.

Quod si notis uti vetamur, ignotum aliquid subesse videtur: illud porro, quandoquidem formae alicuius singularem defectum observavimus, non in verborum syntaxi, sed in formis quaerendum est. atque nemo nescit pronominis de quo agitur in vetere latinitate duplicem fuisse declinationem, ut aut prior eius particula, i. e. pronomem demonstrativum, aut altera flecteretur, i. e. affixum quale 'pte' ('in eopte' Festus p. 110); nam in 'pse' contineri 'p(e)' cum alio pronomine 'so' coniunctum, quae Corseni opinio est (Ausspr. II 846 K. Z. XIII 193 Beitr. z. ital. Sprachk. 609 sq.), id satis refutavit I. Schmidtius in Kuhnii annali XIX p. 205 sq. probatur illud duobus potissimum vocabulis in eandem syllabam desinentibus: 'sepse' quod Pseud. 833 (ubi de 'eaepse' cogitandum non esse Ritschelius indicavit, cf. Buggius Philol. XXXI p. 257) tu restitui iussisti decl. lat. p. 52 (ed. Windek.), quodque apud Vmbros adverbii vicem tenet (t. Ig. VI^b 11) et 'sirempse siremps', cuius naturam idem declarasti pop. Iguv. lustr. p. 12. atque similis declinandi ratio cum apud Graecos extitit in Lesbiorum pronomine (τῶνδεων τοῖσδεσι) nuperque in titulo Larisaeo apparuit (τοῖνεος τοῦννεουν iuxta τόνε τάνε, v. Hermae vol. XVII p. 468), tum in Oscorum Vmbrorumque linguis extitit fortasse, siquidem recte 'esuf essuf', quod illis

idem quod 'ipse' valere extra dubitationem tu posuisti, ex 'eso' pronomine cum 'font hont hunt unt' coniuncto et per 's' quasi animato constare sumpsisti (Mus. Rhen. XXX p. 441). quamquam huic formae explicandae praeter vias a te indicatas haec quoque patere videtur. nempe cum 'esus' nominativum neque Vmbrorum neque Oscorum lingua pateretur (nam de 'sipus' 'facus' 'praefucus' nondum dirempta lis est et nuper sententiam dixit I. Schmidtius K. Z. XXVI p. 372 sq.) et 'ess' ne non satis intellegeretur verendum erat (alia enim adverbii ratio 'ekss ex'), fieri potuit ut in fine consonans mutatione afficeretur et succederet littera qua nulla latinae 's' similior in Italorum dialectis extat 'f'; quod non improbabile mihi videtur, quamquam et in 'oittiu' 'apru' 'zedef' littera 's' cum 'n' in 'f' coaluit et in aliis ut 'spafu' 'herifi' 'kehefi' eandem eius litterae originem esse veri certe simillimum est et in 'travorfi' saltem antecedit consonans (de quibus in Fleckeiseni annali CXI p. 132. 322 et in tabularum III. IV explicatione (p. 12) locutus es). fortasse igitur Vmbri et Osci pronominis 'eso' eundem esse usum voluerunt quem in eadem re Graeci norunt, apud quos αὐτός significat 'ipse' 'esuf', αὐτοῦ αὐτῷ 'eius ei' 'eiseis eisoi'. haec rectene disputarim an secus tu diiudicabis. hoc certum est, ipsum pronomem quod est 'ipse' inter Italos Latinorum proprium esse.

Alia oritur quaestio de formarum usu, quae si propter novitium litterarum Latinarum originem solvi non potest, at praeteriri non debet. extat scilicet et 'ipse' et 'ipsus', et 'eapse' et 'ipsa', et 'ipsum' et 'eumpse', et 'ipsam' et 'eampse', et 'eopse' et 'ipso', sed tantum 'ipsius' 'ipsi' et pluralis numeri 'ipsi' 'ipsis' 'ipsos' 'ipsas', nusquam 'ipsorum'. ergo neque fuisse videtur tempus quo altera ultra declinandi ratio una valeret neque unquam promiscue utramque usurpabant. quare eo ducimur, ut olim duo formarum genera invicem ita se supplevisse statuamus, ut ad formandos bipertiti pronominis casus partim prior partim altera eius particula flecteretur. simile quid in Oscorum lingua de usu pronominum 'i' et 'eiso' et Buggius (K. Z. V p. 2) et tu (Osk. Bleit. p. 22) observastis; nam de Vmbrorum 'i' et 'ero' (cf. Aufr. et Kirchh. II p. 274) non plane certa res. simile illud dico, sed specie simile: diversum est et ratione et origine; ratione, nam 'i' et 'eiso' ita se supplent, ut recti casus illo utantur, hoc obliqui: 'ipse' et 'ipsus' eo inter se differunt ut pronominis 'i' casus in vocalem aut 'm' exeuntes servati, reliqui aut numquam formati sint aut amissi damnumque alterius particulae flexione

reparatum. origine: nam causam diversitatis hac ipsa in re sitam esse apparet, nempe alteram flectendi rationem inventam esse ad evitandam formarum asperitatem quales fuerint 'eiuspse' genitivus, 'eispse' nominativus similesque 's' ante 'pse' collocantes. quod si quis obiciat elidi potuisse 's' ante 'p' et 'eopse' pro 'eospse' pronuntiarī, sive 'ipse' confers, brevis vocalis est, sive 'vopte', ut Catonem extulisse per Paulum comperimus (p. 379), haec pronuntiandi ratio ne invalesceret sermonis perspicuitas prohibebat. haec si recte disputata sunt, fuit cum hae formae solae extabant: 'ipse eapse eumpse eampse eopse eapse' et 'ipsius ipsi (plur.) ipsis ipsos ipsas'. omisi singularis numeri dativum et pluralis genitivum. illum tantum novimus 'ipsi', sed nihil obstabat quominus formaretur 'eieipse eipse'; hunc non invenimus apud poetas antiquiores ita declinatum 'ipsorum ipsarum' nec scio ubi nunc legatur ante Vergilium (Aen. XI 196): analogiae prorsus conveniebat 'eorumpse earumpse'. numquam formasse videntur 'eaepse'¹, etsi ignoramus num extiterit nominativus 'eas'; sed consentaneum erat masculini 'ipsi' exemplum sequi femininum. paulatim autem et multum ante vetustissimorum scriptorum tempora secundum formarum posteriore particula declinatorum analogiam nascebantur illae 'ipsus', quod omnes aetate videtur antecedere (certe e Numaē lege vetustam formam 'ipsos' testari videtur Paulus p. 6), deinde 'ipsa ipsum ipsam ipso ipsa', quae sensim linguae se insinuantes pristinas formas hominum ore prorsus eximebant, nisi quod 'ipsus' nominativus rursus cessit novicio illi 'ipse', quem ex se ipse detracta 's' procreaverat, ut 'ollus olle' et eius generis multa et nota. iam cum litterarum monumenta condi coepta sunt, utriusque generis formas, ubi extabant, promiscue lingua usurpabat. quod quo modo ipsi poetae fecerint ne quaerere supersedeamus nunc res ipsa monet. haud facilis quaestio est in vocabulis obsoletis et in librorum memoria perraro integris; certa veri vestigia aut in verborum corruptelis relicta sunt aut ex versuum numeris capienda.

Masculini generis nominativus in plerisque Plauti et Terenti comoediis² ita invenitur positus ut, etiam discrepantibus inter se

¹ Sic Rud. 663, ubi 'écce ipsae' in codicibus est, non suadeam ut quis 'ecce caepse' scribere animum inducat, sed retinendum Reizii 'eccas ipsae huc egrediuntur'. cf. Langeni librum p. 3. Pseud. 833 supra tetigi.

² Itidem, ut haec tantum memorem, 'ipsus' Liv. trag. 12, 'ipse' Naev. com. 26 metro flagitantur.

aut in falso conspirantibus libris, et 'ipse' passim et 'ipsus' metro confirmetur.¹ sic in Trinummo quinquens 'ipsus', noviens 'ipse', in Milite ter 'ipse' (640. 1081. 1147), nusquam 'ipsus' (cf. 1061. 1388), in Captivis bis 'ipsus' (279. 777), ter 'ipse' (121. 560. 581), in Asinaria bis 'ipse' (69. 644), 'ipsus' v. 463, in Bacchidibus 'ipsus' 478, 'ipse' 417 metro certum, sic in Truculentio casu factum est, quod quinquens 'ipsus', semel 'ipse' legitur, neutrum metri lege necessarium².

Reliquorum singularis numeri casuum cum nullus sit quin declinationis post scaenicorum poetarum fabulas legitimae formis comprobetur (quamquam apud Plautum perraro illae metro unice aptae sunt ut 'ipsum' Capt. 615 'ipso' Mil. 1220. Trin. 902, apud Terentium frequenter), alterius et librariorum temporibus obsoletae declinationis formas haud multas codices intactas et suis litteris perscriptas tradiderunt: 'eapse' Cist. I 2, 17 Curc. 161 Rud. 411³, unus *B* Rud. 478 (cf. Ritschelii nov. exc. p. 52 adn. 1), *A* Cas. III 4, 12 ('eaps') et fortasse Stich. 501; 'eumpse' nusquam, 'eampse' Men. 772 et ut videtur Cist. I 3, 22 Rud. 1278; 'eopse' Curc. 538⁴, 'eapse' Curc. 534 Trin. 974 ('reapse' Fest. p. 278 (Pacuv. 26) p. 286; Pacuv. 374; de Cicerone cf. Neue II p. 197). reliquis locis omnibus eius generis formae ita in libris obscuratae sunt ut vel 'ab se' pro 'eapse' vel 'eo se, eum se' vel 'ea ipsa, eum ipsum' etc. scriptum vel prima pronominis particula cum antecedente vocabulo coniuncta vel etiam usitata forma in obsoletae locum substituta sit⁵. atque his qui-

¹ De 'ipsus' grammaticorum testimonia (Charis. p. 158 Diom. 330 Prisc. II 6 cf. Prob. inst. p. 132 et quae ex illis sumpserunt Albinus Dositheus Beda) tu composuisti ad anthologiae tuae Gryphiswaldensis n. 29, 3 (IRN 1137) 'et ipsus etiam sedulo finxi nova'. — 'eapse' ea ipsa' Paul. p. 77.

² De 'ipsus' cum pronomine reflexivo cf. Luchsius in Studemundi studiis I 47.

³ Legebatur 'ut capse [sic] succincta aquam calefactat ut lavemus', Fleckeisenus 'modo' inseruit, legendum videtur 'ut eapse succinctast aquam ut calefaciat, ut lavemus', nam ipsam aquam a vicinis rogatura processit Ampelisca.

⁴ Curc. 538 'eopso' *B* ('eapse' *rell.*), ut Truc. 496 (II 6, 15) 'apsa se' *B* ('abse se' *CD*), quales formas nec per 'sapsa' satis defenduntur nec per graecum $\psi\rho\nu\nu\ \delta\rho\omega$. de τοίνεος et τῶνδεων v. s.

⁵ 'apse', quam formam veteri latinitati vindicare studuit Ribbeckius trag. frg. p. XXXVIII, novisse quidem videtur Consentius

dem locis iure restituerunt viri docti 'eapse': Aul. 101 Cas. III 4, 14 Men. 180 Mil. 141 Stich. 501 (v. s.) Truc. 24 (I 1, 3) 496 (II 6, 15) 852 (IV 3, 78), restituendum Cas. II 1, 14 ('ipsa' A, 'ea ipsa' rell.), fortasse cum Schoellio Truc. 513 (II 6, 32), ubi tamen legendum videtur 'ubi illast obsecro, quae me hic reliquit et eapse abstinit?', et 587 (II 7, 31 'aipsa' B), cum Acidalio Mil. 940 (935 Ribb.; cf. Ritschelii nov. exc. p. 52), qui quod v. 869 idem ex 'ab se' effecit non recte fecit. 'eumpse eampse' restituta leguntur Aul. 815 Men. 637 (ubi nescio an codicum corruptela 'eampse sis' commendet)¹ Mil. 1069 (1064 Ribb.) Most. 346 Pers. 603 Poen. I 2, 60 Trin. 800 ('ipsam' codd., correxit Ritschelius) 950 Truc. 114. 133 (I 2, 18. 31: hic pro 'eumpse non eampse' A praebet 'eum ipsum non eam ipsam', B rectius 'eum ipsum inonea asae') 890. 891 (IV 4, 37. 38) Pacuv. 39 Caecil. 29 (cf. 197), legendum videtur 'eampse' Schoellio Truc. 467 (II 5, 14) 'eumpse' Seyfferto Truc. 842 (IV 3, 68). 'eopse' praeter Curc. 538 (v. s.) Ritschelius restituit Bacch. 815 ('eo ipso' codd.), 'eapse' praeter Curc. 534 Trin. 974 Ritschelius Bacch. 312 Kampmannus Epid. 254². pro 'reapse', de quo v. s., Truc. 815 (IV 3, 41) in libris est 're ab' (de Trin. 1054 et Ter. Ad. 955 (V 8, 32) cf. Muellerus pros. p. 277).

Hac potissimum eius generis formarum depravatione quasi sollemni credibile redditur aliarum memoriam prorsus oblitteratam esse librariorum inscitia. atque primum quidem dativum aliquem 'eipse' apud Latinos aliquando extitisse probabili mihi videor ratiocinatione conclusisse; sed nimis haec forma suis litteris concinit cum nota illa et usitata, quam eius loco in linguam se insinuasse opinor, neque inveni versus quibus metri necessitas quasi

p. 396, 35; sed et illum et fortasse Verrium Flaccum (Fest. p. 286) deduxisse opinor illam ex 'reapse', quod coaluit sine dubio ex 're eapse'; nec Scipionem Africanum scripsisse credibile est 'reque apse'. prorsus enim recedit haec forma cum a pronominis stirpe et natura tum ab analogia linguarum Italicarum; quae quod in Plauti libris identidem videtur tradita esse, id propterea factum est quod notum aliquid ('ab se') ignotorum loco ponere solebant librarii. Philoxeni glossa 'as] αὐτάς, ἀργύριον, ἅπαρ καὶ ἄλλα' quid sibi velit non liquet. Mil. 401 Ribb. 'am' pro 'eam' in A legitur.

¹ Cf. Kiesslingii anal. Pl. alt. p. V. nihil est 'eampus' quode verba facit Muellerus de re metr. p. 304, cf. Kochius in Fleckeiseni annuali CV p. 832; neque quicquam 'rempse' (cf. Truc. 864).

² Merc. prol. 77 'eapse mercis vectatum undique' Scaliger versu nondum emendato ('eam semper scis v. u.' BCD).

obtrudat extirpatam illam et amissam. nam non satis ad persuadendum appositi loci qualis Mil. 1221 (1215 Ribb.), ubi 'ipse dum lubitumst mihi' in libris est. restat secundus pluralis numeri casus, cuius vestigia, deficiente praesertim volgari declinatione, cum confidentia investigamus. ergo ad huius disputationis initia revertens adscribam locos quibus pronominis 'ipse' significatum supra vindicavi, formam nunc vindicaturus:

Trin. 1049 qui nil meriti, quippe eorumse ingenio ingenium horum probant.

Mil. 186 earumpse artem et disciplinam obtineat colere. P. quemadmodum?

Ter. Hec. 163 (I 2, 88) ad exemplum ambarum mores earumpse aestimans.

quorum primo 'eorum ex', altero 'earumque', tertio 'earum ex' in codicibus legitur. atque Terentium his formis nondum abstinuisse sed grammaticorum opera (nimirum uni Verrio Flacco debentur de illis veterum testimonia) et librariorum factum esse ut codices Terentiani eis careant, et Caecilii et Pacuvii exemplum docet; ut haud uno loco oblitterata pronominis forma corruptelam effecisse videatur¹. quod pro 'earum existimans' reposui 'earumpse aestimans', eadem verba inter se commutata esse Capt. 678 et in Plauti fragmento apud Paulum p. 143 Scaliger et Ritschelius viderunt. in Militis loco cum sententiam ita distinguere possis: 'prófecto, ne quoquam de ingenio degrediatu muliebri, earumpse artem et disciplinam obtineat colere', tum asyndeton et aptum est frequentatumque veteri latinitati vel potius Italicorum linguis et saepissime interpolata particula copulativa obscuratum. discernenda certe duorum vocabulorum frequentissima copulatio qualis 'ager locus' similia in publicis documentis usitata, 'luctu questu' 'sibi uxori' in epigrammate CIL I 1008, 'vi pugnando' (de quo loquens Fleckeisenus in annali suo CVII p. 502 evidenti emendatione sustulit 'vi pugnandoque' Mil. 267) 'clam furtim' 'servos ancillas' 'bibas edas' 'dubiis egenis' et similia multa, quae innuit Lachmannus ad Lucretium p. 80, ab sententiarum compositione qualis extat e. g. Mil. 689 'quae me somno suscitet, | dicat' e. q. s. (ubi 'suscitans' Ritschelius praetulit) Curc. 329 'póstquam tuo iussu profectus sum, perveni in Cariam, | video tuom sodalem' (nam sic distinguendum, non post 'Cariam' finaliter, cf. 336. 349. 354) Rud. 774 'ut illas serves,

¹ Cf. Ad. 209 (II 2, 1). Phorm. 725 (IV 5, 13).

vim defendas' Trin. 749 'ipsum ádeam Lesbianicum, edoceam ut res se habet?' (nam recte haec omnia, v. 747—750 sq., Callicli deliberanti codices adsignant) Ter. Ad. 217 (II 2, 9) 'dé tuo iure concessisses paululum, | aduléscenti esses morigeratus' (nam recte deleverunt 'atque' post 'paululum' ut III 3, 21; 4, 19). sed simplicioris quoque generis quaedam adferre non inutile erit, in quibus interpolata deprehendatur particula copulativa. Curc. 351 'quíd si abeamus [ac] decumbamus' (correxit Reizius) Aul. 784 'répudium rebus paratis [atque] exornatis nuptiis' (sine 'atque' Nonius) Trin. 302 'tuís servivi servitutum imperiis [et] praeceptis, pater' (correxit Bothius) Ter. Phorm. 687 (IV 4, 6) 'ut té quidem omnes di deae[que] superi inferi' (correxit Bentleius) 1050 (V 9, 60) 'quod potero [et] quod voles' ('et' omittit Bembinus) Cist. I 1, 23 'quía me colitis [et] magni facitis' (emendavit Spengelius libri his diebus editi p. 235) II 1, 3 'qui omnes homines supero [atque] ántideo cruciáibilitatibus ánimi' (correxit Muellerus 'nachtr.' p. 124). quem versum qui secuntur quoniam quodam modo huc pertinent adscribam, partim recedens a Muellero prosod. p. 370 et Spengelio l. s. p. 365, emendatis nonnullis et interpolatione uncis circumscripta:

iactór crucior agitór stimulor

5 vorsór in Amoris rota [miser], éxanimor,
feror differor distrahor diripior,
ita núbila mente animi hábeo:
ubi sum íbi non sum, úbi non sum íbist animus,
ita mi ómnia sunt ingyénia.

10 quod lúbet, non lubet iam id cóntinuo,
ita me 'Amor lassum animi lúdificat,
fugat ágitat petit raptát retinet,
lactát largitur, [quod] dát non dat [deludit],
modo quód suasit id díssuadet,

15 quod díssuasit id osténtat.

nam hic quoque 'quod' ad asyndeton obscurandum adscriptum est. Truc. 225 (II 1, 15) 'adridere ut quis advenat, bland[e]que adloqui' (correxit Scaliger). addo Rud. 769 'nam hércle ego te barba continuo arripiam [et] in ignem coniciam' (nam non satis modulate Fleckeisenus 'contínuo arripiam barba et in ignem coniciam'). denique Capt. 670

quia *me meamque rem*, quod in te uno fuit,
tuis scelestis falsidicis fallaciis
dilaceravisti deartuavistique *opes*

spero probaturum tibi me emendationem meam 'dilaceravisti de-artuavisti probe', praesertim si contuleris v. 641 'tum igitur ego deruncinatus deartuatus sum miser'. alia eius generis (atque restant non pauca) nunc omitto, ne nimis liberiore hoc disputationis genere abusus esse videar. scilicet pertexenda est tela quam exorsus sum et ad finem aliquem perducenda de pronomine 'ipse' disputatiuncula. neque enim exhaurire omnia in animo est et satis erit digito indicasse dativos 'ipsae' ('ipsa') et 'ipsis', quae adferuntur in explanatione Donati p. 547 sq. ed. Keil. et Ennio Plautoque, si conferas p. 545, 12 (altero enim loco non incorrupta procedit grammatici oratio), tribui videntur. item perstringenda Pauli glossa p. 105 'ipsippe] ipsi neque alii' quae recte sic tradita est nec confundenda. cum altera (p. 110) 'in eo] ipso' aut Philoxeni glossis 'ipsipte] αὐτοί' 'ipsipse] αὐτός' (nam sic scribendum pro 'insipti' 'iosipse') quae Odofr. Muellerus in adnotatione confert. certe 'ipsipse' nec Cist. II 3, 58 cum Meursio nec Truc. 123 (I 2, 24) cum Pareo reponendum est. denique 'sumpse' accusativum Truc. 159 (I 2, 58) codices indicare vidit Bergkii, accusativum scilicet pronominis 'supse', cuius nominativum cum rei nomine coniunctum et dupliciter declinatum ('res sapsa' 'sapsa res') non Ennius tantum, qui demonstrativi quoque pronominis formas 'sum sam sos sas' sermoni poetico vindicare frustra studuit, sed etiam Pacuvius servavit (Fest. p. 325), altiori videlicet stilo convenientem. antiquitus autem in lingua latina et 'ipse' et 'supse' extitisse ac promiscuo in usu fuisse alio tibi et certo, si quid video, documento confirmabo. nihil aut corrigendo aut veriloquio indagando effecerunt viri docti in Pauli glossa p. 105 'ipsullices] bractee in virilem muliebremque speciem expressae'. quam vidit saltem Odofr. Muellerus non secerni posse ab altera p. 307 'subsilles dicebantur quaedam lamellae sacrificiis necessariae', unde suppleta est ipsa Festi explicatio: '[subsilles sunt quas a]li ipsiiles vo[cant lamellae in sacri]s, quae ad rem [divinam conferre dicuntur] maxime, [specie virum et mulierum]'. virilem scilicet muliebremque speciem in hac ut in priore Pauli glossa nominatam esse litterae in codice servatae ultimae aperte docent. pro 'ipsiiles' neque cum Vrsino 'ipsullices' aut cum Muellero 'ipsullices' neque cum Scaligero 'ipsulles' legendum est, sed quod ipsi litterarum ductus continent 'ipsilles', ut tria eiusdem rei nomina agnoscamus 'ipsilles' 'ipsullices' 'subsilles' vel potius 'supsilles', derivata illa per proprias terminationes a deminutiva pronominis forma: ab 'ipse' duo 'ipsilles

ipsullices', ab 'supse' tertium 'supsilles'. atque 'ipsulum' aliquem tu indicasti in Petroni commentario p. 75, 'ipsimillam' suam Catullus invitat c. 32. sunt igitur lamellae istae in virilem muliebremque speciem expressae nihil aliud quam quod accurate reddimus vernaculo 'ebenbildchen'. quorum qualis in sacris usus fuerit ipse Paulus p. 121 et 239, ubi laneas effigies Compitalibus laribus suspendi solitas adfert, docebit cum Macrobio comparatus (I 7, 35) et Varrone in Sesculixe (frg. 463, p. 212 Riesii 'suspendit Laribus manias, mollis pilas, reticula ac strophia'); conferendus de scirpeis virorum simulacris Ovidius fast. V 621 sq. aliaque ad effigies infaustae sacrificacionis loco substitutas pertinentia quae ex thesauris suis abunde supplebit Vsenerus.

Exemi ex hac disputatione locum quem uberius tractandum esse video ut sententiam meam, id quod magnopere cupio, probatam tibi reddam. loquor de Mercatoris prologo eiusque versu qui in Ritschelii editione ab initio legitur quartus. quem vix attigerunt qui nuper de prologi compositione disserentes laudabiliter rem gesserunt Carolus Dziatzko in mus. Rhen. vol. XXVI p. 421 sq. (cf. XXIX p. 63) et Leopoldus Reinhardt in Studemundi studiorum vol. I p. 80 sq., ille praeclare, hic ita versum a Ritschelio emendatum esse praedicantes, ut posterioribus ne verbum quidem mutare fas sit. verum imposuit illis, quam ne ipse quidem certam credidit emendationem esse, magni viri opinatio, fundamento scilicet aut nullo nixa aut admodum debili, i. e. versuum transpositione nequaquam commendabili. sed proponendum est prologi, qualis in codicibus legitur, exordium, ut intellegatur qualis sit in sermone multifariam retractato, sed non multum Plauti temporibus recentiore, sententiarum progressus. Charinus adolescens prologi simul et personae munere fungens ita argumentum narrat, ut ab amore suo, qui maxima eius pars est, initium capiat his verbis (quae ubi corrupta sunt scribo ut legi possint):

duas res simul nunc agere decretumst mihi,
 et argumentum et meos amores eloquar.
 non ego item facio, ut alios in comoediis
 vidi [adulscntes] facere, qui aut Nocti aut Die
 5 aut Soli aut Lunae miserias narrant suas:
 quos pol ego credo humanas [has] querimonias
 non tanti facere, quid velint quid non velint;
 vobis narrabo potius meas nunc miserias.

sequitur tituli et poetae graeci latinique nomenclatio non aptius

inserta quam in Trinummi prologo; deinde ipsa narratio Plauti verbis (de quibus, si universum spectas, rectius iudicavit Dziatzko quam Reinhardtus) incohata, deinde ab histrione amplificata; et primum quidem:

- 11 pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum:
 biennium iam factumst postquam abii domo.
 ibi amare ocepi forma eximia mulierem.
 sed ea ut sim implicitus dicam, si operaest auribus
- 15 adque advortendum [vostra] adest benignitas¹.

haec recte procedunt, secuntur portentosa:

- 16 fit hoc parum esse more matorum institi
 17 per mea perconatus sum vos sumque inde exilico.

haec scilicet in Camerarii vetere leguntur, a quo Vrsinianus et Decurtatus ita tantum recedunt, ut priore versu 'et' pro 'fit', 'maiorum' pro 'matorum' praebeant, altero 'me' pro 'mea', 'uos-sumque' pro 'uos sumque'. sequioris notae codices nihil mutarunt nisi quod in fine posuerunt 'index ilico', id quod editiones tenuerunt omnes. reliqua autem Ritschelius sic conformavit, his versibus post v. 2 et versibus 3—8 post v. 15 transpositis:

etsi hoc parum hercle more maiorum institi,
 pro mea persona ut sim ad vos index ilico.

scilicet praeter morem fieri quod, cui nunc solius prologi persona sit agenda, simul et statim ab initio pro sua Charini persona earum rerum quas scire intersit indicium spectatoribus faciat (parerg. p. 19). removendos autem loco quo traditi sunt versus istos eam potissimum ob causam Ritschelius contendit, quod prorsus non habeant quo referantur quae v. 18 subiciuntur: 'nam amorem haec cuncta vitia sectari solent' e. q. s.; etenim scire se nullo corrigendi vel studio vel artificio id effectum iri v. 16. 17, quocum recte iungi 'nam' particulam dicas (p. 17). verum enimvero rectissime ex eius quidem sententia, qui Plautinam Charini orationem amplificavit, versus 16. 17 excipi sequentibus, modo et hi recte ut scriptor voluit intellegantur et illorum quae sententia fuerit recta ratione indagetur, apparebit loco ante oculos posito sive emendata sive, quod nusquam adhuc factum est, vindicata codicum lectione recteque distincta:

- 18 nam amorem haec cuncta vitia sectari solent,
 cura, aegritudo nimiaque elegantia; e. q. s. 20—23

¹ 'atque advortendum animus adest benignitas' codd., cf. Men. prol. 16. Mil. 80.

- 24 sed amori accedunt etiam haec, quae dixi minus:
 insomnia, aerumna, error, terror et fuga;
 ineptia atque stultitia adeo et temeritas,
 incogitantia, excors inmodestia,
 petulantia et cupiditas, malivolentia
 inhaeret: tum aviditas, desidia, incuria,
- 30 inopia, contumelia et dispendium,
 multiloquium: parum lóquium¹ hoc ideo fit quia,
 quae nihil attingunt ad rem nec sunt usui,
 ea amator profert saepe advorso tempore;
 hoc, pauciloquium, rursum idcirco praedico,
- 35 quia nullus usquam amator adeost callide
 facundus, quae in rem sunt suam, ut possit loqui.
 nunc vos mi irasci ob multiloquium non decet:
 eodem quo amorem Venus mi hoc legavit die.
 illuc reverti certumst, ut coepta eloquar.
- 40 principio ut aetas ex ephebis exiit e. q. s. Plauti genuina.

verba igitur de amatorum moribus faciens et de eo praesertim more, quo molestissimam illi loquacitatem exerceant, suam in describendis amoris vitiis verbositatem spectatoribus excusat. quod si huic loco Charinus praemittit, aliquid se non de more fecisse, eum intellegemus morem in quo describendo deinceps operam ille consumit. nimirum uno verbo Plautinus adolescens miserias suas elocutus erat: 'ibi amare cecepi forma eximia mulierem'; non placuit histrioni substricta oratio, placuit locus de

¹ 'parumloquium' finxit histrio secundum 'multiloquium' 'pauciloquium' (cf. quibus Donatus in commentario Terentiano usus est 'tardiloquium' Hec. V 1, 15, 'falsiloquium' Phorm. I 2, 81, 'longiloquium' Phorm. II 2, 34 et 'multiloquium' Phorm. II 3, 93, cf. μακρολογία (Ad I 1, 43) μικρολογία βραχυλογία etc.; nec sane nihil valent ad vindicandam Donati auctoritatem quae praeterea in commentariis istis dictionem comicam prae se ferunt: 'manticulor' Eun. II 2, 27, 'munerigeruli' Eun. V 6, 22, 'despoliatrice et petax' Hec. I 2, 84, 'partitudo' Hec. III 2, 19; praef. 194, 14 Kl. 'saevidici senis' Ad. V 3, 63) et praeterea talium memor qualia sunt 'nunc hominum' Pers. 385, 'semper lenitas' And. 175 (I 2, 4), cf. 'concubitus furtim' Tib. II 5, 53, quibus alia multa addere placebat Scaligerò. — Versu 34 sententia ad eorum exemplum conformata est quae composuit Vahlenus in ind. lect. 1880 p. 6 sq. et 1881/82 p. 4 sq.; ad eandem speciem emendandus est Captivorum versus 267 'ne id quidem, involucrem inicere, voluit, vestem ut ne inquinet' ('involucre' codd., 'involucris' edd.).

amatorum loquacitate; cui inserendo eam sibi ansam paravit ut ab amantium consuetudine se descivisse Charinum faceret praedicantem. ergo 'amatorum' legemus cum Acidalio, non 'maiorum' nescio quem morem intellegemus:

sed hoc parum hercle more amatorum institi.

nam 'hercle' Ritschelius emendavit, in 'fit' et 'et' potius latere videtur 'set' quam 'etsi'. sequitur autem ut altero versu dicatur qualem qualiter neglexerit amatorum morem. sententia igitur haec erat: 'quod rem ipsam statim elocutus sum', latent in his verborum simulacris 'per mea perconatus sum uos sumque inde exilico' verba duo 'conatus sum uossumque', coniunctioni locus non est, scripsit poeta quisquis fuit:

sed hoc parum hercle more amatorum institi:

rem eampse ecfatus sum orsusque inde exilico.

nam amorem haec cuncta vitia sectari *solent* e. q. s.

in his quae posui neque 'rem eampse' qua via corruptum sit neque 'ecfatus'¹ quomodo in 'conatus' abierit explicatione eget, eget quod ut in libris scriptum est servavi 'inde exilico'.

Quod ubi primum animadverti et traditum esse et unice sententiae aptum, dummodo idem 'exilico' significare sumas quod 'ilico', statim intellexi et verum esse et locos nonnullos, de quibus et doctiores viri et ego adhuc dubitavimus, inlustrari illo lucemque illi invicem reddere. Aulul. IV 8 Strobilus in arbore se sedentem Euclionem observasse narrat dum thesaurum suum loco occulto abstrudat. v. 708

ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore,

exfodio aulam auri plenam: inde ex eo loco

710 video recipere se senem; ille me haud videt,

nam ego declinavi paululum me extra viam.

versu 709 nec metrum nec sententia constat. nam non ex aliquo loco redire senem narrat, sed in locum quem modo reliquerat, quem perpetrato furto relicturus est servus. ergo in concisa oratione non rem consentaneam, exisse se vel in eundem locum redisse senem Strobilus narrat, sed rem satis miram, statim et vix egressum eum redisse: 'inde exilico video recipere se senem'. de hiato post 'plenam' v. i.

¹ 'ecfari' Enn. trag. 324, Pacuv. 292; 'exfata' Festus, cf. Terent. Scaur. p. 26, 14 'effatus, non exfatus nec ecfatus, ut quidam putaverunt'.

Truc. 443 (II 4, 89) haec Diniarchus :

ego istí non munus mittam? iam modo ex hóc loco
iubebo ad istam quinque deferri minas.

'iammo' pro 'iam modo' *B.* non ex hoc loco, sed domo sua munus missurus est amator. quare multa coniecerunt ante Schoellium, ille 'iam ibo ex hoc loco', quo verba augentur, non iuvatur sententia et stilus. de 'ilico' iam Muellerus cogitavit, nihil aliud expectamus. repono 'iam inde exilico'.

Ad locum similiter corruptum lectores delegavit Schoellius, Asin. 129

béne merentí mala's, mále merentí bona's.

130 at malo cum tuo: nam iam ex hoc loco
ibo ego ad tresviros vostraque ibi nomina
faxo erunt.

flagitatur v. 130 temporis significatio, probum est 'nam' ('nam actutum' Fleckeisenus), deest syllaba una: 'nam iam [inde] exilico' cum repono, et ipse sentio expectari potius 'hinc', sed 'inde' ut ponamus interim suadet sollemne loquendi genus. item in Aululariae versu hiatus inserto 'iam' removendus videtur: 'exfódio aulam auri plénam. [iam] inde exilico' e. q. s.

Sed antequam exempla congerere pergam, subsistendum paulisper et disceptanda adverbii, quod semel intactum inter corrupta, aliquotiens non valde obscuratum invenimus, forma et natura. de qua multo paratius esset iudicium, si de ipso 'ilico' certi aliquid constaret. constat autem pristinum ei inesse loci significatum, quem ostendit coniunctum cum verbis quibus manendi notio inest, iuxta positus subinde locativis: 'hic, isti, ibidem, ilico' (cf. Muellerus prosod. p. 653 Lorenzius ad *Most.* 874)¹; abiit ut alia in temporis notionem, cf. Langenus symb. p. 157 sq. dubitatur de origine: atque ut cum 'ille' nihil commune habet 'ilico' (cf. Ritschelius opusc. V p. 372), sic Festi explicatio 'in loco' (p. 297. 343, cf. Charis. p. 201, Non. p. 324), quam recentiores fere amplexi sunt (Ritschelius Corssen Curtius alii), probari non potest, siquidem 'ilico' ubique praeter deteriores libros simplici scriptum consonanti legitur, producta vocali prima, et mendosa est Festi sive Pauli (p. 296) scriptura 'illico'². ego

¹ *Enn. trag.* 305 'nolite, hospité, ad me adire: ilico ísti, | ne cóntagió mea bonis umbrave óbsit, | [stetis]: tanta víis sceleris in corpore haéret' Lachmannus supplevit.

² *Philox. gl.* 'ilico έξ αύτής' (cf. *gr. lat.* p. 460 *Vulc.* 'έξ αύτής

recte mihi videor contendere primam adverbii syllabam nihil esse nisi pronominis demonstrativi casum locativum 'ei i'; quem si per se positum non invenimus, novimus et adfinia 'hi(c) qui¹ illi (alio pertinet 'olim non oli' app. Probi p. 199, 16) isti' et ab ipsa quam quaerimus forma derivata illa 'dein exim' etc. de quibus post Ritschelium (op. II 455) multi locuti sunt. atque 'in im' quidem ut 'hin(c) illum olim istim' non ipsas esse locativi formas, neque eiusdem esse casus 'interibi' et 'interim', neque pertinere ad locativum Vmbrorum 'vapefem' aut 'vukumen', neque extare omnino in Italorum linguis locativos non in 'i' ('ei' 'e') exeuntes, haec omnia hodie constant. continent autem 'in illum' et reliqua eius generis locativos cum particula 'en in em im' coniunctos, quae in illis, ut in Oscis 'eisocen zicolod' et 'imaden' tituli Bantini et Pompeiani, propriam ablativi notionem efficit, corroboratam illam in 'exim dein proin exhinc dehinc exillum' etc. praepositione eadem ratione qua apud Graecos ἔξ ἀλόθεν, ἐκ θεόφιν. eadem tua opinio est, nisi me fallunt quae in lexico Italico subscripsisti lemmati 'en e in'. locativus pronominis coniunctus est cum nominis ablativo (nam 'locoi' abire debuit in 'locei loce loci') ut Plautus dixit 'qui praesente', ut linguae placuit 'hodie', sed 'pridie, postridie, cottidie, die septimi'. magis me movet inmutata vocalis, quam servant 'colloco invoco' etc. non idem est quod passa sunt ista 'hominis Apollinis', nam sequitur 'n', aut 'convicium', nam aucta est vocalis, neque recte compares 'thermipolium' 'Demipho' vel adeo 'Patricoles', nam legitima est in Romanorum ore compositi nominis iunctura, neque 'opilio' huc facit, nam multa sine lege corrupta sunt a Graecis accepta in ore indoctae plebis, neque vero 'ovem apicam' ab ἄποκος rectius cum Corsseno quam a πείκος (Hesych.) cum Scaligero derives. prope accedit et 'agnitus cognitus' et 'inquilinus', quamquam intactum mansit 'incola'. adverbii significatus similes subiit vicissitudines atque 'statim' 'extemplo' 'παραχρήμα' alia temporis adverbia, quae primum simpliciter locum indicabant, tum temporis instantis continuitatem. ad 'ilico' autem non plane eadem ratione accedit 'exilico' qua 'exim dein proin' etc. ad 'in',

actutum, e vestigio', gl. ap. Steph. thes. 'ἔξαθις continuo statim', Suid. ἔξαιτης] παραυτικά, εὐθέως) et 'illico παραχρήμα, εὐθέως'.

¹ 'qui' locativi certum habes exemplum Men. 1156 'qui die? die septimi', ubi 'quidem' codd., emendavit Guilelmus. 'quo die' cum Lambino edd.

qua 'exinde deinde proinde subinde perinde' ad 'inde', qua 'deinceps' ad 'inceps' (Paul. p. 107) aut qua 'exhinc (Appul.) abhinc dehinc' ad 'hinc', qua 'exillim' (v. i.) ad 'illim': siquidem his iam inerat τοῦ πόθεν notio; accedit eadem qua latine dictum est 'a mani' 'de vesperi' similia, ut locativus cum praepositione coniungeretur (quod loquendi genus optime inlustravit Vvenerus in Fleckeiseni annali CXVII p. 77); non multum distant 'examussim' ('amussim' Paul. p. 6). 'exadvorsum' 'econtra' 'decontra' (Placid. 33, 13 D.) 'desubito' 'derepente' 'demagis' et alia adverbia cum praepositione coniuncta quae in vulgari praesertim sermone apparent, ut 'amodo' similia. populari igitur stilo illud quoque quod tractamus vocabulum proprium fuisse videtur: certe evanuit e cultiore lingua; servatum est a Plauto eiusque imitatore, qui Mercatoris prologum amplificavit, in hac potissimum formula 'inde exilico'¹. quam ita fere ubique inmutasse librariorum, ut ignotum sibi compositum solverent efficerentque 'ex eo loco' 'ex hoc loco', tam consentaneum est quam felici casu factum, ut uno saltem loco circumstantium vocabulorum depravatio illud non intellectum muniret a correctorum licentia.

Aliud non minus in promptu erat genus correctionis, quo scilicet omitteretur praepositio et simpliciter restitueretur 'ilico'. quod evenisse contendo in Captivorum loco, de cuius metro confidentius iudicarem, nisi argumentis antea refellenda esset Spengeli opinio de bacchicis versibus catalecticis (l. s. p. 248 sq.), quales Plautum composuisse tam mihi constat quam ille negat. hac igitur quaestione interim reposita illud certe adfirmare licet, nullo loco planius indicari dimetros bacchicos catalecticos, i. e. dochmios versus, quam Capt. 506 sq., ubi primus agnovit illos Hermannus (elem. doct. metr. p. 314), servavit Brixius, nisi quod v. 508 cum Acidalio delevit (quem Vvssingius quoque secutus est), immerito ut viderunt Hermannus et Fleckeisenus; nempe a praetore domum praeventitur Hegio, in via interim (tale quid v. 510 in 'inde abii' latere videtur, cf. 458) ad fratrem invisit. sic illa procedunt: 'tandem ábii ad praetórem: | ibi vix requiévi, | rogó syngraphúm: | datúr mi : ilicó | dedí Tyndaró; | ille ábiit domúm. | inde [éx]ilicó | praevórtor domúm postquam id áctumst'. secuntur iambi.

Subiungo Rudentis versum 859 'ego hunc scelestum in ius

¹ Cf. Curc. 363 'óstium ubi conspexi, exinde me ilico protinam dedi'. Ter. Hec. 376 (III 3, 16) 'et corripui ilico | me inde lacrimans'.

rapiam exulem', quem corruptum esse duplex hiatus arguit, sanari non posse transpositis verbis interpolatisve cognoscimus hoc unum quaerentes quid sibi velit 'exulem'. nam quis umquam peregre profecturum profectumve sive inludens sive serio exulem appellavit? quod qui primus scripsit in mente habuisse videtur Daemonem 'senex qui huc Athenis venit exul, haud malus' (prol. 35); de lenone nullo modo aut dici potuit aut intellegi. temporis notionem flagitari Fleckeisenus vidit, qui scripsit 'ego hunc scelestum rapiam [iam] in ius exulem'. quod si sumo corruptum esse vocabulum non intellectum et repono 'ego hunc scelestum in ius rapiam [hinc] exflico', hoc certe loco 'inde' ferri nequit (v. s. ad Asin. 130) et apparet 'i' pronominis proprium significatum adverbium temporale non retinuisse. cf. Rud. 266 'flico hinc imus hau longule ex hoc loco', Mil. 1381 (1377 Ribb.), ubi nescio an scribendum sit 'me quaerit: ilico hinc ibo huic puero obviam'.

Non coniunctum cum 'inde' vel 'hinc' nusquam reperitur 'exilico' neque restituere illud animum induxerim locis quales sunt Cist. I 3, 33 'peperisse gnatam atque eam se servo ilico | dedisse exponendam' (cf. Muellerus prosod. p. 530), Bacch. 8 'qui ilico errat intra muros civicos' (Charis. p. 201. cf. Langenus p. 159. expectamus aliquid 'viginti annis' v. 6 oppositum), Poen. II 7 'quoniam litare nequeo, abii illum ilico' (cf. Ritschelius opusc. II p. 454), II 39 'ut quisque acciderat, eum necabam ilico' (Muellerus p. 534 Ritschl. op. V 562), prol. 106 'ubi quamque in urbem est ingressus, ilico' ('is est' Geppertus), Stich. 202 'adeunt, perquirunt quid siet causae ilico'¹, Mil. 1030, quo de versu recte iudicasse videntur Ritschelius et Ribbeckius (1025), ut de Mil. 1176 Bothius, de Men. 599 Guyetus, de Most. 885. 887 Studemundus, de Merc. 910 Acidalius et Camerarius. in Amphitruonis fragmento quod servavit Nonius p. 342 (v. 1028 Vss.) 'exi ilico' pro 'exuo' reponendum videbatur Langeno (p. 29); aptum foret ad sententiam 'exilico': sed bene hunc versum tractavit Brandtius in mus. Rhen. XXXIV p. 580. Most. 140 versu cretico traditum est 'deturbavit textit detexitque a me ilico': putes 'textit' lectionis varietate natum esse, sed fallit species. etenim

¹ Cf. Muellerus nachtr. p. 83 de 'siet'. non recte inter personas distribuunt Men. 164, ubi sententia scribi postulat 'écquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris, | facere coniecturam [id unde] captum sit? Pen. collegium | [convocassis hariolorum, certiore haud fecerint]'.

sic scribendi sunt versus 139—141: 'haéc verecúndiam mi ét virtutís modum | déturbavít detexitque me ilico: | póstilla optígere me néglégens fui' ('optícere eam' codd.). cf. Spengelius l. s. p. 40. 83. denique Ter. Phorm. 88 (I 2, 38) 'exadvorsum ei loco' dativum servavit cum Prisciano et Donato Calliopius ('ilico' Bembinus).

Unum restat quod posui supra et nescio an mirante te posuerim, comprobabo tibi emendato Captivorum versu 519. qui sic traditur in codicibus: 'neque exilium exitio est neque adeo spes quae mi hunc aspellat metum', nisi quod 'hunc mihi' in *B* legitur, et recte. nam quod Bentleium secuti edere solent 'neque aúxilium mist néque adeo spes quae mi hunc aspellát metum', id verum non esse elucet ubi intellectum est 'exitio' idem esse quod Truc. 511 (II 6, 30) 'quid illi ex utero exitiost', quod 'abitio' Haut. 190 (I 2, 16): id quod intellexit Vssingius. qui tamen reliqua non rectius quam priores tractavit; scilicet ditographia hic nulla est, sed scripsit poeta 'neque éxillim exitióst neque adeo spés quae hunc mi aspellát metum'. ergo 'exillim' accedit ad 'illim' ut 'exim dein' ad 'in(de)', 'dehinc exhinc' ad 'hinc'. eiusdem adverbii praeterea vestigium agnosco in Militis versu 1207 (1201 Ribb.), ubi cum *CD* praebeant 'et idem ago telliberabo' ('ego te liberabo' correctum in *D*), sed *B* in initio 'et illem', hoc nisus Ritschelius quidem 'item illinc' scripsit, Ribbeckius, qui adverbii formam probe agnovit, 'itidem illim'; verum reddendum est Plauto 'éxillim ego te liberabo'.

In Poenuli versu, quem supra tetigi, II 7 'postquam litare nequeo, abii illim ilico' ('non queo' Geppertus, 'ego abii' Ritschelius) reponere non dubito 'abivi'. nempe ut breviter complectar quae post egregiam Fleckeiseni disputationem re denuo pertractata (nam non satis facit Neuius II p. 524 sq.) certa mihi videntur, nusquam Plautus posuit 'perivi' (quamquam nullo negotio sic emendes Aul. 392. 413 et quaedam alia) 'adivi' (quamquam emendabiliorem haec forma redditura erat Asinariae versum 141) 'redivi' (quod Cas. prol. 65 non recte tradidit *B*, Merc. 947 non recte restituit Camerarius) 'interivi' (nisi forte hoc usus est Cas. III 5, 33, cf. Cist. II 3, 34 ubi de 'interivimus' cogitavi), simplex verbum aliquotiens posuit 'ivisse ivero ivisti' (Most. 842 Capt. 194 et fortasse Bacch. 577 'venum ivisse' cf. Stich. 232 Pseud. 1090 Pers. 654, 'iverant' Ter. Ad. I 1, 2 'intro ivi' And. V, 2, 9 Hec. III 1, 52 cf. III 3, 13), bis 'exivi exivissem' (Stich. 459 Rud. 534, cf. Philox. gl. 'exivit ἐξελήλυθεν' 'ivit

ἀπιῶλθεν') et 'abivi' passim: Bacch. 171. 900 Capt. 478 Amph. 125 Most. 971, 'abivisse' Rud. 65 'abivero' Bacch. 211; fortasse 'abivit' Amph. 639 (cum Fleckeiseno exerc. crit. p. 38) Epid. 46 ('nám certo priusquam abivit hinc ad legionem domo'), ut alios eius generis versus omittam qui emendationem poscunt. nam in illis mutatione nusquam opus est amplius restituta verbi pleniore forma; quam quod perraro libri servarunt, id qui factum sit facile intellegimus conlata Donati adnotatione ad Ad. I 1, 2 'ierant p̄ducta 'i' pronuntiandum, quod nos addita 'u' iuerant dicimus'. contra nonnunquam Palatini perperam commutatis 'b' et 'v' illius generis perfecta tradunt pro futuro vel imperfecto, ut Truc. 198. 210 (cf. 547) Aul. 344 Cas. prol. 65. aliter iudicandum est necdum recte indicatum de Militis versu 997 (992 Ribb.), quem inter incorruptos sic deformatum legimus in libris:

núm qui hic prope adest qui rem alienam potius curet
quam suam?

qui aucupet me quid agam, qui de vesperi vivat suo?
eós nunc homines metuo ne obsint mihi neve obstant
uspiam,

997 domosibitac dum huc transivit atque huius cupiens corporist,
quae amat hunc hominem nimium lepidum et nimia
pulcritudine,

militem Pyrgopolinicem.

in fine versus Camerarius restituit 'transibit quae huius cupiens corporist', in initio Acidalium scribentem 'domina si domo huc transibit' eo usque secuti sunt Ritschelius et Hauptius (opusc. III 374), ille ut 'domina domo si clam huc transibit', hic ut emendaret 'domina ubi actutum huc transibit'. quae non quadrare ad poetae consilium satis docemur scaenae progressu, siquidem magnopere se cavere Milphidippa simulat, ne aut nomen aut conditionem mulieris eloquatur cuius mandatum exequitur. certe hic ut 1046. 1048 mentio ipsius ambagibus et anfractu orationis circumscribitur et evitatur. ergo et Kochii inventum, cui accessit Brixius ('domo si clanculum huc transibit'), et Ribbeckii ('domo silenta dum huc transibit') sententiae bene convenit; litterarum vestigia alio ducunt: non quo abiisse video editorem novissimum, cuius, dum haec scribo, in manus meas devenit recensio ('dum sibi iaculum huc transmittat'), qui minime recte contendit mulierem omnino non transire sed militem ad se transire velle (v. 1069. 1085). unum Luchsium nunc video intellexisse illa 'transivit atque' ita legenda esse: 'transbitat quae' (cf. Merc. 465 vitas B

bitas *A*, all.); priora non recte idem administravit (Herm. XIII 502 'domo sua (hac) quin huc t.' etc.), quae vix una alterave litterula inmutata sic restituenda sunt:

dómo si bitat, dum húc transbitat quae húius cupiens
córporist.

satis erat dixisse 'dum transgreditur'. inmoratur mulier consulto in declarando transgrediendi actu, initium eius et finem expressis verbis indicans remque quae numquam futura est comica gravitate militis auribus inculcans. verbum, quod orationi eius iam restitutum est, multo saepius oblitterasse quam intactum reliquisse librariorum et aliorum docuerunt (cf. Loewius act. Lips. V 309 sq.) et metri litterarumve mendosarum vestigia passim indicant. in ipsa Milite v. 1242 si scribas 'prohibendam mortem mulieri video. adbitone? minime,' nulla praeterea mutatione opus sit. simili fortasse ratione solitum obsoleto verbo mutatum est et alibi (cf. Loewius anal. Pl. p. 215 ad Bacch. 354, p. 204 ad Cas. II 8, 7, l. s. ad Trin. 885, Seyffertus stud. Pl. p. 4 ad Asin. 940 all., cf. Truc. 96 'abaetat' *B*, 'abeat' *CD* et Schoellius ad 564. 838) et Aul. 449 (cf. Cas. I 1, 4) 712 (cf. Goetzius ad 377) Men. 662. 954 (secundum *B*). 1091 Most. 336 Poen. III 2, 5 aliisque Plauti versiculis quos nunc praetereo; cf. Ter. Haut. 379 (II 3, 138) saltém salutem. abeas si sapias. eo' *A*, 'salutare' Calliopius; 'baetere' et 'ire' alias quoque iuxta ponuntur (cf. Stich. 608) et eadem fortasse ratione sanandus Merc. v. 749 ('abi. abitamne? abi'). aliud depravationis genus est ut cum verbo diversi significatus obsoletum illud permutatum sit, ut Pers. 680 codices 'permittas' praebent, Ritschelius restituit 'perbitas'; ut supra ostendi Truc. 751 (IV 2, 38) pro 'sineamitto intro' scribendum esse 'sine bitam intro' ('a' illud ex correctura remansit). ita in Milite, a qua fabula initium cepimus, non tantum v. 1222 (1216 Ribb.) optime suppleas 'quia ad te [adbitit]' ('ad te' *B* 'te adit' *CD*), sed duo feruntur versus gravius et simili nisi species me fallit ratione corrupti. v. 1312 (1307 Ribb.) quod 'abeo' in *CD*, 'video abeo' in *B* legitur, olim extitisse videtur 'abito', ut si scribas 'úbi pulcerrime egi aetatem, abito', priorem versus partem reconcinnaveris (nam 'hinc' vel 'inde' non magis necessarium quam 'ei' v. 697 Curc. 581 'eis' Curc. 681 Pers. 182 Aul. 595 'eorum' Men. 192 'ab eis' Poen. III 5, 19 (cf. Gronov. ad IV 2, 52); cf. Catull. 62, 60. Mommsen. CIL I p. 44), de altera periculosum est diiudicare postquam compertum est longe diversa a Palatinis exhibere Ambrosianum (cf. Ribbeck. ad v.)¹. progredior ad locum

quem dixi alterum. v. 359 Palæstriō Sceledrum dulice et co-
moedice astantem astare ait ut in cruce mox haesurus sit:

credo égo istoc exemplo tibi esse pereundum extra portam,
dispéssis manibus patibulum quom habitabis. *Sc.* o quamnam
ob rem?

sic Ribbeckius, qui inseruit 'o' v. 360; Ritscheliū 'p. quom
habebis. *Sc.* quamnam [id] ob rem?'; atque 'habebis' in *CD* legitur,

¹ Quem quod extrémō versu 'meist' praebere Loewius enotavit, significabo saltem loci imaginem qualem olim fuisse mihi persuaserim: 'ubi pulcerrime égi aetatem, abito; ab eo homine, qui mihi | pró matre et soróre, invita abdúcor. PA. em hominém tibi, | qui á matre et soróre venit', ut alter in *A*, alter in *BCD* versus interciderit. hanc non in emendando sed in narranda emendatione licentiam coniectura redimam simili sed magis nisi fallor ad persuadendum apposita. eiusdem scilicet fabulae versui 100 alienum aliquid admiscuisse videtur Ritscheliū, quem Ribbeckius sequitur (nec sane plus profecerunt alii, quibus nuper accessit Henricus Schenkl stud. Pl. p. 80), in eo quod traditur 'erat érus Athenis mihi adulescens optimus, | is amabat meretricem matre Athenis Atticis' scribens 'altam' pro 'matre'; nam neque Athenis natae educataeque solent esse Andriae istae et Perinthiae nec intellegitur cur repetatur et cum auctario repetatur 'Athenis'. nequaquam eliminanda videtur matris mentio (106 'occepit eius matri suppalparier'), flagitari certius aliquid de Atheniensi meretricis conditione, denique 'item' vel simile quid quo vis addatur repetito 'Athenis Atticis' ('ibidem' pro 'matre' Brixius). ergo cum confidentia supplebimus: 'is amabat meretricem, [itidem quae illo tempore | habitabat cum sua] matre Athenis Atticis'. quam sententiam fortasse maiore verborum ambitu poeta complexus est. nam codicem Ambrosianum intra v. 74 et 147 duobus versibus auctiorem fuisse quam Palatinos adnotat Ritscheliū praef. p. XII. — Parvo intervallo diiunctus est ab illo versus 110 'sublinit os illi lenae, matri mulieris'. aegre ferimus 'illi' vocem et superfluum et coniectura ortam. nimirum 'os illos' *B* prima manu praebet, 'os illis' reliqui. scripsit Plautus 'sublinit oscillum lenae' et huc respicere videtur Philoxeni glossa (p. 150 Vulc.) 'oscillum στομάτιον'. alio significato occupatum erat osculum. 'moscillis Cato pro parvis moribus dixit' Paulus p. 159. ad Vergili 'oscilla' (Georg. II 389) praeter Servium et Philargyrium conferendi Festus p. 194, glossae Papiæ s. v. et graeca latina (p. 597 Vulc.) 'προσωπεῖον oscilla', Steph. thes. s. αἰώραι. quod sollemnis est apud Plautum locutio 'os sublinere' (cf. Non. p. 45, Placid. p. 81), et ille variavit 'os oblitum' Curc. 589, 'litum os' per Placidum cognoscimus (p. 60), et apta est deminutiva forma vernili scurrilitati (vide v. 106 modo adlatum).

'habetuis' in *B* prima manu exaratum erat, recentior correxit 'habetis'. haec ad 'habitabis' redire per se satis probabiliter conclusum est; sed nec versui illud sufficit et alio ducit Ambrosiani scriptura quae Loewio apparuit 'uidetis': quae certe non ex 'habitabis' vel 'habebis' orta est, sed et 'uidetis' et 'habetis' (nam 'habebis' ut 'habetuis' potius ex 'habetis' superscripta 'b' vel 'v' natum est) ad unum idemque verbum redire videntur, quod fuisse suspicor 'subetes' i. e. 'subbaetes' vel 'subbites':

credo égo istoc exempló tibi esse péreundum extra pórtam,
dispéssis manibus, pátibulum quom súbbites. *Sc.* quamnam

6b rem?

'subbitere' quod hic primum apparet, et alia verbi composita semel tantum inveniuntur et 'ebitere' Loewius nuper Plauto vindicavit (act. Lips. V p. 314. prodr. gloss. p. 275. cf. Vmbrorum 'ebetrafe' pop. Ig. lustr. p. 20). primitivam verbi diphthongum (Oscus ludens 'poíu baiteis' Zvet. 25) servavit corrupta Philoxeni glossa 'baesis] προσέληθης' (cf. glossa Sangallensis apud Loewium l. s. 'betere] vade proficiscere'), in composito *B* Truc. 96 ('abaetat').

Haec satis sunt et sane subsistendum est, ne cupidus tibi videar rerum novarum esse et verborum. finem autem in vocabulo faciam Vmbris certe ut Graecis usitato, Latinae linguae ignoto nec tamen prorsus ignoto si recte capio sensus ambiguitatem Plauti versiculo inhaerentem Aul. 359. ubi cum haec convicia Congrioni coquo Staphyla ingerit: 'quid, impurate, quamquam Volcano studes, | cenaene causa aut tuae mercedis gratia | nos nostras aedis postulas comburere?', rogamus quid sibi velit ad 'impurate' ἀκάθαρε adpositum 'quamquam Volcano studes'. non satis est piacularum ignis virtutem recordari: immo ad τοῦ πυρός stirpem adludit et ἀπύρωτον, quasi ab igne alienum, hominem dicit poeta suo more ludens, cui ex patria dialecto notum erat 'pur' 'pir' et verbum inde derivatum, nisi fallit vocabulum in Iguviorum sacris multum valens 'vepurato' quod ad eandem stirpem tu revocasti in secundae tabulae explicatione p. 12. cf. Oscum 'aasaí purasiaí'. quod si lusum istum Sarsinatis poetae origini facile tribuas, nusquam tamen iste propriae linguae, quae certe tunc temporis nondum evanuerat, frustula Romanorum auribus videtur obtrussisse: nempe intellecturus erat auditorum nullus. vestigia igitur aliqua vocis Italis Graecisque communis apud Romanos quoque extitisse videntur.

Longiuscula evasit epistula vereorque ne mihi irascaris ob multiloquium; sed in mentem venit quam patienter adesse soleas eorum sermocinanti et in confabulando moras nectenti. quare habe tibi haec qualiacumque et inspice si quando aut invitabit otium aut negotia permittent. ego si non omnia tibi displicuerint gaudebo: magis gaudebo cum eorum loco quae parum recte tibi videar instituisse meliora me edocebis. Vale.

Scribebam Kiliae mense Iulio.

Index locorum

- Amph. 125 p. 23; 635 p. 3; 639 p. 23; 672 p. 3
 Asin. 130 p. 18
 Aul. 359 p. 26; 449. 595 p. 24; 709 p. 17; 712 p. 24
 Bacch. frg. 8 p. 21; 171. 211. 900 p. 23; 577 p. 22; 760 p. 4
 Capt. 267 p. 16; 478 p. 23; 506 sq. p. 20; 519 p. 22; 672 p. 12
 Cas. I 1, 4 p. 24; II 1, 14 p. 10; III 5, 33 p. 22
 Cist. II 1, 4--15 p. 12; II 3, 34 p. 22
 Curc. 329 p. 11; 581. 681 p. 24
 Epid. 46 p. 23
 Men. 133 p. 3; 164 p. 21; 192 p. 24; 217 p. 3; 637 p. 10; 662. 954.
 1091 p. 24; 1156 p. 19
 Merc. prol. 1--40, inprimis 17 p. 14 sq.; 749 p. 24
 Mil. 100. 110 p. 25; 186 p. 5. 11; 360 p. 25; 675 p. 3; 689 p. 11;
 697 p. 24; 997 p. 23; 1207 p. 22; 1221 p. 11; 1222. 1242. 1312
 p. 24; 1381 p. 21
 Most. 140. 141 p. 21; 336 p. 24; 971 p. 23
 Pers. 182 p. 24
 Poen. II 7 p. 22; III 2, 5. III 5, 19 p. 24
 Pseud. 833 p. 6
 Rud. 65 p. 23; 107 p. 3; 411 p. 9; 663 p. 8; 769 p. 12; 859 p. 20;
 1226 p. 2; 1229. 1316 p. 3
 Trin. 639 p. 4; 747--750 p. 12; 1049 p. 4. 11
 Truc. 112 p. 4; 259 p. 1; 307. 332. 333. 334 p. 2; 443 p. 18; 513
 p. 10; 710 p. 3; 711. 713. 714 p. 4; 751. 752 p. 4. 24; 886 p. 4
 Ter. Ad. 217 (II 2, 9) p. 12; 820 (V 3, 34) p. 6. Haut. 379 (II 3, 138)
 p. 24. Hec. 163 (I 2, 88) p. 5. 11.

Index rerum

abivi etc. p. 22; apse p. 9; asyndeton p. 11; baetere bitere p. 24; dein exim hinc etc. p. 19; divi dei p. 3; divinus dinus p. 2; Donatus p. 16; esuf p. 7; exilico p. 17 sq.; exillim p. 22; ilico p. 18; ipse eapse etc. p. 6 sq.; ipsilles supsilles p. 13; ipsippe ipsipse ipsipte p. 13; ipsorum p. 6. 8; ivi p. 22; locativus pronominum p. 19; officium suum facere p. 4; oscillum p. 25; parumloquium p. 16; pronomem demonstrativum omissum p. 24; pur πῶρ p. 26; qui locativus p. 19; subbitere p. 26; supse p. 13.

Addendum epistolae Plautinae (s. p. 1 sq.)

Ad. p. 3. Sero in mentem venit versus Naeviani qui apud Nonium legitur p. 197: 'res divas edicit, praedicat castus'. quamquam adfirmare nihil licet, certe non solebant Latine sic loqui.

cf. Iordanus Hermae vol. XV p. 10. — Prisc. I 198 'Livius in Odysia — nam diva Monetas filia docuit': 'divina' GLK. — *ibid. adn. 1* Non 'domina', sed 'domna' pronuntiari voluit Terentius Heaut. IV 1, 15 'domna ego, erus damno auctus est'. — *p. 8* Nondum apud Catonem, sed in Cornifici arte invenimus 'ipsorum' III 20, 33 IV 37, 49 'ipsarum' III 24, 39 et easdem formas apud Caesarem et Ciceronem haud raro. — *p. 10 adn.* Turpil. 130 R. 'as' pro 'eas' Nonii codices. 'as' pro 'has' saepiuscule. — *p. 16 adn. 1* 'multiloquium' etiam Don. Phorm. II 1, 1. — *p. 18* cf. Don. And. III 2, 34 de 'ilico'. — *p. 21* Adde Amph. 714 'advenientem ilico' Most. 434. In Pomponi Pictorum fragmento V (116 R.) quod tradunt codices 'in Graeca merce de ilico curavi ut occuparem' ('mercede' ante Bergkium, ille 'merced' non ita ad persuadendum apposite) sane diligenti dignum est consideratione. — *p. 24* Nescio an sic fere scripserit Titinius Setina frg. 13 R. 'quom procul aspexit, inbitere | voluit: revortit quo catapulta [actú] volat' (vel 'inbitier'; Nonii libri 'inmitter' et 'immittere'; Epid. 145 'meam domum ne inbitas'). — *p. 26 ext.* Festus p. 313 'strebulas Plautus Umbrico nomine appellat coxendices'.